se dedant aliqui uiri feruentioris zeli, et fidei, qui primum priuatis colloquijs experiantur in Christo si quid possint lucis afferre miserrimis hominibus. Deinde si ita uideatur, ut catholicæ atq; Ap.cæ fidei ueritatem profiteantur publice, ac prædicent etiam si de uita periclitarentur. Quid scimus an fortassis hæc sit uia Germaniæ recuperandæ in Chro Jesu!

Curandum ut catholicorum Principum, et omnino omnium catholicorum fiat confederatio firmissima in Germania. Hæc uniat sibi omnes aliarum nationum catholicos principes, ac Resp.cas ac in primis Summum Pont. Regem catholicum, Regem Christianissimum. Hoc uero fœdus ita concipiatur, ita coeat, ac sanciatur, non quasi in Protestantes bellum sint gesturi catholici; sed ut cogi non possint minis, et terroribus protestantium, uel eorum potentia catholici, ut de dogmatum integritate uel disciplina Ecclesiastica, uel obedientia Sedis Ap.cæ decedant. Et illud contendent confederati, ut quæ catholici coacti hactenus in recessibus conuentuum germanicorum uel permiserunt, uel receperunt, obseruare ne adigantur.

Deniq;



Deniq; ut liceat ministris catholicis docere in terris Protestantium, et ritus ecclesiasticos restituere, sacramenta administrare, ijs, qui a lutheranismo uelint sua uoluntate discedere. in reliquis nihil hostile aduersus Protestantes fiat.

Parrochi, Canonici, Concionatores, Consiliarij Principum Episcoporum. rc. horum familiæ, professores academiarum, ludi magistri, Magistratus, ministri omnes sint in catholicorum ditione, non catholici solum, sed etiam extra omnem hæreseos suspitionem.

Scriptores catholici, qui extant foueantur liberaliter, tum alij inuitentur ad scribendum honestis quidem conditionibus sæculares, Regulares uero regulari obedientia: scribant autem quæ uidebuntur ad fœdam hanc Germaniæ tempestatem sedandam, ad miserandum naufragium reficiendum necessaria. Curetur item per eruditos, ac doctos homines, ut auctores græci, præsertim Ecclesiastici, qui religionis causam iuuare possint in latinam linguam uertantur. Thipographiæ catholicorum